

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

- 1 Est enim amicitia nihil aliud nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum
2 benivolentia et caritate consensio; qua quidem haut scio an excepta sapientia nihil
3 melius homini sit a dis immortalibus datum. Divitias alii praeponunt, bonam alii
4 valitudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptates. Beluarum hoc
5 quidem extremum, illa autem superiora caduca et incerta, posita non tam in consiliis
6 nostris quam in fortunae temeritate. Qui autem in virtute summum bonum ponunt,
7 praeclare illi quidem, sed haec ipsa virtus amicitiam et gignit et continet, nec sine
8 virtute amicitia esse ullo pacto potest. Iam virtutem ex consuetudine vitae sermonisque
9 nostri interpretemur nec eam, ut quidam docti verborum magnificentia metiamur
10 viroscum
11 bonos eos, qui habentur, numeremus, Paulos, Catones, Galos, Scipiones, Philos; his
12 communis vita contenta est; eos autem omittamus, qui omnino nusquam reperiuntur.
13 Talis igitur inter viros amicitia tantas oportunitates habet, quantas vix queo dicere.
14 Principio qui potest esse vita "vitalis", ut ait Ennius, quae non in amici mutua
15 benivolentia conquiescit? Quid dulcius quam habere, quicum omnia audeas sic loqui
16 ut tecum? Qui esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis aequae ac
17 tu ipse gauderet? adversas vero ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam quam
18 tu ferret. Denique ceterae res, quae expetuntur, opportuna sunt singulae rebus fere
19 singulis, divitiae, ut utare, opes, ut colare, honores ut laudare, voluptates, ut gaudeas,
20 valitudo, ut dolore careas et muneribus fungare corporis; amicitia res plurimas continet;
21 quoquo te verteris, praesto est, nullo loco excluditur, numquam intempestiva, numquam
22 molesta est; itaque non aqua, non igni, ut aiunt, locis pluribus utimur quam amicitia.
23 Neque ego nunc de vulgari aut de mediocri, quae tamen ipsa et delectat et prodest, sed
24 de vera et perfecta loquor, qualis eorum, qui pauci nominantur, fuit. Nam et secundas
25 res splendidiore facit amicitia et adversas partiens communicansque leviores.
26 Quomque plurimas et maximas commoditates amicitia contineat, tum illa
27 nimirum
28 praestat omnibus, quod bonam spem praelucet in posterum nec debilitari animos aut
29 cadere patitur. Verum enim amicum qui intuetur, tamquam exemplar aliquod intuetur
30 sui.
31 Quocirca et absentes adsunt et egentes abundant et inbecilli valent et, quod difficilius
32 dictu est, mortui vivunt; tantus eos honos, memoria, desiderium prosequitur amicorum.
33 Ex quo illorum beata mors videtur, horum vita laudabilis. Quodsi exemeris ex rerum
34 natura benivolentiae coniunctionem, nec domus ulla nec urbs stare poterit, ne agri
35 quidem cultus permanebit. Id si minus intellegitur, quanta vis amicitiae concordiaeque

33 sit, ex dissensionibus atque ex discordiis perspici potest. Quae enim domus tam stabilis,
34 quae tam firma civitas est, quae non odiis et discidiis funditus possit everti? Ex quo,
35 quantum boni sit in amicitia, iudicari potest.